

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 94. (Neovidensis 1808. Nro 93.)

Politicum Vita functorum Colloquium.

Elysium-Meum.-Die Veneris 2. Dec.1808.(Neov. 21.Nov.1808)

Non satis est ars sola coco, servire palatum
Nolo cocus domini, debet habere gulam.

Mart.

Colloquentes Umbrae:

Joan. Christ. Wiegleb. — Culinaris.

Culinaris. Quo tam propere, Venerabilis
Umbra?

Wiegleb. Quaero celebrem Chymicum Ba-
sillum Valentinum.

Culinaris. Quid audio, ergo et tu aesti-
mator artis Chemicæ? ausim sciscitari per-
sonam, quam in superiore mundo gesseris?

Wiegleb. Eram pharmacopæus Langen-
salzæ; Chemia carissimum mihi erat studi-
um, multa in hoc argumento reliqui scripta.

Culin. Ergo Apothecarius! etymon ex
graeco *ἀποθήκη* quod officinam denota, seu
fornicem, & quid in fornice hoc vendebas?

Wiegleb. Pharmaca. Laureti erat phar-
macopœa, in qua vasa Hapnaelis delineatio-
nibus ornata erant.

Culin. An tot apud vos aegroti? An lues
fortassis pestifera?

Wiegleb. Non id quidem, at commoditates nimiae, immoderata vivendi ratio, et defectus commotionis genus humanum praeprimis in urbibus debilitavit. Pharmaca maxima ex parte nihil sunt praeter compensatio corporalium commotionum seu temperantiae; quod si homines in constanti ordinata physici motus consuetudine, temperantiaque viverent, minor occasio suppeteret iis utendi. Id quoque deprehenditur: eas mundi partes sanissimas esse, quibus homines a labore vivunt, si vitam laborando transigant, neque alios, quam simplices cibos adhibeant. Cicuta, scarificatio et venae sectio raro jam adplicantur, non nisi apud socordes, et immoderatos homines; prout et pulveres alvum laxantes, pillulae, tincturae, quae tam ingrate sumuntur, nihil aliud sunt, quam remedia, ope quorum naturam cogendi consilium est, ut sanitas cum luxuria consistat. Pharmacopaeus continuo usum praestat, ad coco et pincernae occurrendum; aves, pisces, casea, oleum et acetum, vinum et aromata, Jus et pulmentum lactucae ex sexcentis contextae herbis obsonia ex mille ingredientis, post patum et fructus occasione commensationis consumitur. Quantae naturae adversae commotiones, quantae inordinatae fermentationes, non debet id genus Commixtor in ventriculo circumferre? Si mensam ad gustum hodiernum expendebam, ut in suo nitore instructum visus sum videre podagram cum hydrope, foetrem et letnargum cum sexcentis mor-

bis inter orbis versari, et orbiculos, atque cochlearibus fusciculisque ori ingeri.

Culinaris. Aedepol hoc quidem perferri nequit amplius. Alme pharmaceuticae genitrix! expende, sis, et me Chemicum fuisse.

Wiegleb. Quid audio? ausimne nomen, locum domicilii, scripta quaerere?

Culin. Morabar Romae, Apicio fui amicus.

Wiegleb. Ergo Romanus Chemicus eorum Chemia in infantia jacuit, ausimne nomen?

Culin. Nomen nihil ad rem - vocor Culinaris.

Wiegleb. (Erumpit in Cachinnos) Culinaris! ergo chemicus in Culina in summa: Cocus.

Culin. An cocum non oportet verum esse chemicum? quantaest destillationes, mixturae, succorum expressiones, quantaest neutralisationes et Retortae non inhaerent Coquinariae? Una chemia est ut altera. Interim quantum per artem tuam lucri faciebas?

Wiegleb. Aliquot tamen mille? florenos.

Culin. Tantum aliquot mille minutiae! ego annue 4 habui talenta, quae prope 9 mille Rhen. faciunt, tum omnia gratuito, et salia accedebant; at Collega meus urbem cum terroro ab Antonino dono accepit, quod uxorem Cleopatram ad opiparum, quod paraverat, invitaret epulum.

Wiegleb. Hoc pacto Chemia Culinaris utique plus lucri fecit mea, ut ut.

Culin. Fac mutua jungamur amicitia; tibi

homines moderatos et frugales faciendi animus est. O dilecte! oleum et operam perdis! mea aetate non alii erant, ac hodie! mea ars sanitatem destruit, verum est. Sine destruat, id est, quod petitur, utroque nostrum egent, nos viribus consiliisque mutuis agere oportet. Vivere sinamus, ut nos quoque vivamus. Mea ars coquendi efflorescit, et vicissim latinam tuam Culinam seu artem florentem reddit. Utrique nostrum consultitur. Moralis nihil juvat. Homines ut erant, futuri sunt.

Wiegleb. Ferme adstipulari tibi debeo, en dextram!

Culin. Sit ita, veritatem assecutus es, sed quid agunt homines?

Wiegleb. Bella in borea aequae ac Austro, mea Boreas potissimum interest, quid Rex Sveciae haecenus ex Anglicano foedere fructus tulit? exhaustit triste! regnum bello, Pommeraniam et Finnam amisit, et nunc primum perspicere videtur nihil praeter calamitates ex eo retulisse, quippe Wimaria de 3. Nov. scribitur: Comitem Svedicum Mörner, ante Lubeci captum et ad fidem datam in patriam reducem 2. h. m. navicula Paldiam (modica Insula ad portum Vismar.) adpulisse, e Svecia venit, moxque iter Parisos prosecutus. jamque Hamburgum praeter gressus. Hoc profecto indicium mutatae politicae Sveciae. Interim Pommerania et Finna perit.

Solatii pleniora Berolino de 4. hujus, sequentis Edictum emanavit:

Ab exercitu Rhenano. Berolino die 30. Oct.
 Jussum diurnum. Occasione adventus sui Berolinum Excell. Mareschallus Dux Auerstad. copiis suo imperio militari subjectis notum reddit: Vigore Caesarei Decreti de 12. h. m. Majestatem Caesareo - Regiam magnum exercitum dissolvisse, et a 15 memorati mensis novum sub nomine Rhenani erexisse, cujus imperium militare supremum sibi demandare dignata est,

Vigore hujus Decreti penes memoratum exercitum denominati habentur Praeses Generalis Stabi; Gen. agminis Dux Compans; rei tormentariae Praefectus; Generalis Cohortis Dux Fouzard, Inspector supremus plagarum et Gen. Intendens: Inspector supremus Villemanzy, Ordinator supremus: supr. Commissarius ordinator Chamboni. Sup. solutionum Magister D. Bogan, qui omnes die 15. utpote die exercitus erecti, munis admoti sunt. Sua Excell. Dominatio non potest intermittere copiis 4. Cohortis exercitus quae pars magni exercitus sunt, commendare, ut eadem mente perseverent, qua sub ductu nobilissimi Praesidis sui Excell. Mareschalli Dalmatiae semper pollebant. Quemadmodum adfirmatur: aula primo medio futuri mensis Berolinum veniet. Conclusio rationum intuitu restantiarum contributionalium nunc facta est.

Erectio Universitatis Berolini jam ut decisa habetur.

Haec ex boreali. Bellum in australi sequentes jam in Hispania effectus tulit:

Bayona de 5. Nov. Caesareum hospitium secundum novissimos nuncios Tolosae fuit, ex quo confestim, ut videbatur, Victoriam transferendum erat. A 31. Octob. copiae nostrae rursus Bilbao tenent, spesque est et S. Andrea paullopost potituras. Totus exercitus in motu constituitur. Mareschallus Launes imperium militare in exercitum suscepturus dicitur, cui haecenus Mareschallus Bessieres praesuit, hic vero Caesareos praetorianos, ceu secundarias copias moderabitur. Mareschallus Ney imperium militare in 6. agmen exercitus quod jam in Germania tenebat, recepit, et quidem in nexu 10 millium, quibus veniens in Hispanias praesuit.

His relationibus respondent sequentes: Parisiis de 10. Nov. Monitor continet Relationem Inspectoris plagarum inferorum Duffresne ad Neo-Comensem principem ceu Pro-Notabilem Imperii de rationibus dilationis militaris suppellectilis vestiariae, 44,000 longiorum vestium et 20,000 militarium, quae Burdigalae conductae, ad quam Imperator in haec verba rescripsit: Magno Judici intimandum: ut reos non modo tamquam fures et prodigos publicarum pecuniarum, verum et servitij militaris impeditores comprehendendos, Judici tradendos, et pro rigore legum in eo latarum plectendos curet. — Gen. Major quosvis cum his Individuis initos contractus ceu dolosos irritandos habet, et Commissariis ordinatoribus, Praefectoque Provinciae Garonnae Burdigalae, ut mutuis consiliis

de necessariis medijs agant, ne servitium militare quid detrimenti capiat, committendum, Bajonnae 4. Nov. 1808. Subs. Napoleon.

Hujates ephemer des sub articulo Lubeca die 2. Nov. haec memorant. Litterae per Sveciam venientes Anglicanae nunciant: Agentes ab Hispanicis seditiosis et Anglis ad Buenos Ayres expeditos intentione frustratos esse; Gen. Gubernator Linieres ignominiose eos relegavit, jussumque edidit, omnes, quae adpariturae Anglicanas naves, tormentorum ictibus impetendi. Una necessarias praeparationes ad elidendam quamlibet adgressionem suscepit. Porro memorant paginae Anglicanae ante adventum Anglicani Agentis legatum Josephi regi ad Buenos Ayres adpulisse.

Bayonna die 6. Nov. Heri die 5. hujus Imperator princeps hospitium Tolosa Victoriam transtulit. (Argus refert adventum Imperatoris Victoriam commune signum universalis adgressionis in omnibus stationibus fuisse.)

Parta ad Bilbao emloumenta notabilia admodum fuere. Mareschallus Lefebvre, Dux Dantiscanus qui negotium moderatus, circiter 4000 captivos, in quibus duo Adjutores Gen. Ducis Blacke, fecit.

Hodie mane multi currus et commeatus Regis Hisp. Neapoli isthuc adpulere.

Parisiis 11. Nov. Heri Collegio ser. leg. per Consiliarios Status Franciscum Non es Corvetto et Portalis Projectum legis relatum, quae praestationes vino et cremato in porta

Cette inhaerentes ad quinquennium extenduntur.

BIOGRAPHIA.

Wiegleb (Joannes Christian.) Syn. Camerarius et Pharmacevta Langensalzae, membrum Electoralis Mogunt. Societatis utilium Scientiarum et Caesareae Academiae naturae scrutatorum natus 21. Dec. 1732. Langensalzae, in qua urbe pater causarum erat Advocatus. Cum in ludo patriae urbis Elementis scientiarum imbutus fuisset, Dresdae cl. Sartorio operam dedit in Pharmaceutica, tantumque subin nominis celebritatem adeptus: ut clarissimis et meritissimis hujus artis accenseretur; chemicusque audiret, cujus opera communem ferrent laudem. praecipua eorum: Chemica Tentamina de alcalinis salibus Editio secunda 1781. Nova notio fermentationis et ei obnoxiorum corporum, 1776. Historico critica tentamina alchymiae Edit. 2. 1793. Magia naturalis 1779. (continuavit Rosenthal). Liber Manualis univ. et applicatae chemiae. Editio 3. in 3 Tomis 1796. Historia iacrenenti Inventionum in chemia aetatis veteris et mediae 1792. (etiam sub titulo: Supplementum ad 2 Tomum historiae chemiae recentioris aetatis). In Societate J. Ch. T. Schlögel elaboravit: Germanicum Pharmacov. librum. 2 Tomi, Editio 3. 1797. Multae dissertationes ab eo elaboratae continentur in Acti. Academiae naturae scrutatorum, in Mercurio germanico, et Crellii Diario Chemico. Supremum obiit diem 16. Jan. 1800.